

obligatione Missam audiendi, si plures quām una celebrentur in loco ubi dispensatur, vel si illi uni sine gravi detimento assistere valeant.

## DE CONSERVANDIS CLERICORUM MORIBUS.

21. OMNES Clerici in hac Diœcesi, juxta decreta variorum Canonum, et maximè concilii Tridentini, *vestes gerant suo ordini congruentes*, hoc est, quæ non solum sint modestæ, sed etiam quæ ipsum eas gerentem aliosque moneant cujus conditionis ille sit. Quare decernimus ut Clerici semper vestes gerant vel nigras, vel nigris proximas.

22. Inhærentes decretis aliorum Episcoporum, et quantum patitur nostra conditio, Conciliorum canonibus, *Prohibemus ne Clerici ad cohabitandum in suis ædibus admittant foeminas de quorum moribus aliqua fuerit sinistra suspicio, aut quæ quadragesimum ætatis annum non expleverint; et Vicariis nostris generalibus committimus ut hujus decreti custodiæ summâ diligentia invigilent.*

## DE PROVIDENDA SUSTENTATIONE PASTORUM, ET PROCURANDIS IIS QUÆ AD CULTUM DIVINUM REQUIRUNTUR.

23. CRESCENTE numero Catholicorum, iisque dispersis per varias longeque dissitas Fœderatæ Americae plagas, opus est in Vineâ Domini multò majore quām olim fuerat operariorum copiâ, qui tamen obtineri non possunt aut conservari, nisi subsidium pro eorum alimonîa à fidelibus conferatur, uti divino præcepto conferre tenentur, dicente Apostolo æquum esse ut *qui spiritualia aliis seminant, de carnalibus ipsorum metant.* Itaque Fideles de hac obligatione

frequenter moneantur, cui nisi satisfaciant, sibi ipsis debent imputare quod neque Dominicis et Festis diebus Missam audiant, neque Sacramentorum in summis suis necessitatibus fiant participes. Unde quando pro mensurâ temporalium bonorum sibi à Deo concessorum, ad salutis ministerium conferre renuant, adeoque præcepta divina et Ecclesiastica non implent suâ culpâ, sciant se versari in statu peccati, indignos esse reconciliationis in pœnitentiæ tribunalí obtinendæ, neque tantum de suis peccatis rationem Deo reddituros, sed etiam de illorum pauperum crassâ ignorantia, ac vitiis, qui propter ditiorum miseram parcimoniam, instructionis Christianæ manent omnino expertes. Ut igitur quod fit in aliis orbis Christiani partibus, apud nos quoque initium habeat, jam superiùs de Fidelium oblationibus aliquod statutum fuit, ac cetera quæ hac de re dicenda sunt adjungimus in instructione quæ cum his Statutis simul mittetur, et coram omnibus legenda erit.

## DE SEPELIENDIS EIS QUI TEMPORE PASCHALI PŒNITENTIAE ET EUCHARISTIAE SACRAMENTA NON RECEPIUNT.

24. NOTUM est decretum concilii Lateranensis, *Omnis utriusque sexus*, quo præcipitur Christianis confessio et communio annua circa tempus Paschale, et decernitur contra eos qui Decreto non obtemperant, *ut vivi ab Ecclesiâ arceantur, mortui verò sepulturâ Ecclesiasticâ careant.* Pastores ne negligant singulis annis hujus decreti memoriam revocare, et si quandò contigerit quempiam è vivis discedere sine ullâ pœnitentiæ significatione, qui tam salutari præcepto morem non gessit, nihil temerè statuant de sepulturâ Christianâ ipsi dandâ vel negandâ, quoniam

verba Concilii important sententiam non latam, sed ferendam; verum Episcopi aut Vicarii generalis judicium, si fieri potest, expectetur. Quoniam autem, propter magnam locorum distantiam, id semper fieri non potest, consideret secum prudens Pastor, 1. An mortuus, per multos annos, an autem uno tantum vel altero, à mensâ Eucharisticâ se abstinuerit; 2. An id fecerit cum magnâ contumacia, et quasi contemptu Ecclesiæ; 3. an illius mores aliunde fuerint notoriè depravati, et mali exempli. 4. His concurrentibus, potestatem facimus Sacerdotibus qui animarum curam agunt, et ad nos, vel Vicarium generali, recurrere non possunt, omnia priùs aestimando in charitate et visceribus misericordiae erga vivos et defunctum, procedendi juxta tenorem concilii Lateranensis, si ita ad majorem Dei gloriam et animarum salutem profuturum judicaverint. Monemus autem ut nunquam non reminiscantur velle Ecclesiam hac salutari disciplinâ viventes potius in officio contineri, quam punire mortuos pro quibus preces continuò offert, omnes fideles defunctos divinæ misericordiae commendando.

His à Reverendissimo Episcopo constitutis, et habitâ cum venerabilibus Confratribus colloctione de proponendâ sanctæ Sedi erectione novæ Diœceseos intra fines hujus quæ nunc est Baltimorensis, vel de Coadjutore Episcopi Baltimorensis designando, concessionem habuit Rev. D. Joannes Ashton, et deinde dicto hymno *Te Deum*, finis Synodo impositus est.



## QUIDAM EX ARTICULIS ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ,

QUOS ILLI AC REVNI DD. ARCHIEPISCOPUS BALTIMORENSIS ET EPISCOPI AMERICÆ FEDERATÆ, COMMUNI CONSENSU, ANNO 1810 SANXERUNT.

### 1. DE SACERDOTIBUS DEGENTIBUS PROPE LIMITES VARIARUM DIŒCESUM.

**S**A CERDOTES approbati pro unâ quâvis diœcesi Federatæ Americæ, facultatibus suis uti possunt in vicinis Diœcesibus. Quod si relinquant propriam suam Diœcesim sine *Exeat*, non permittuntur suis uti facultatibus ultra duos menses, nisi novas facultates obtineant ab Episcopo Diœceseos in quam migrâre; cuius officium erit cum eis se gerere juxta canones generalis disciplinæ in hujusmodi casibus præscriptos.

### 2. DE SACERDOTIBUS QUI PERTINENT AD SÆCULARES AUT REGULARES CONGREGATIONES.

QUANDO Sacerdotibus pertinentibus ad Sæculares aut Regulares Congregationes, è Superiorum consensu, cura animarum demandata est, judicamus eos non debere ex Superiorum suorum arbitrio pendere, ab eisque revocari, invito Episcopo. Attamen, ultrâ profitemur in magno honore et aestimatione apud nos esse illas Congregationes, Diœcesibus nostris tantoperè utiles, omnimodamque fiduciam nos in

earum Superioribus reponere. Læti videbimus Diœcesanos nostros, qui Religiosam vitam ducere volunt, illarum Congregationum instituta amplecti: neque nostra mens est exigere ut sacro ministerio mancipentur illi quibus revera indigent præfatæ Congregations; neque etiam impedire quin revocentur Sacerdotes in Missionibus laborantes, modò hæc revocatione Diœcesano Episcopo omnino necessaria ad existentiam aut prosperitatem prædictarum Congregationum esse videatur.

#### 3. DE SCRIPTURA SACRA.

VERSIO veteris et novi Testamenti, vulgo vocata *Doway Bible*, ad verbum admittenda est et transcribenda, quotiescumque pars aliqua Scripturæ sacræ inseritur in manualibus precum, aliisque pietatis libris; nec ulla alia versio adhibenda est, à quolibet privato homine facta.

#### 4. DE REGISTRIS PAROCHIALIBUS.

OMNES Sacerdotes admonentur de obligatione quâ in hac Diœcesi constringuntur comparandi sibi libros in quibus diligenter inscribantur omnia baptismata, matrimonia et sepulturæ, quæ in suis congregationibus perficiuntur.

#### 5. DE BAPTISMO.

UTI menti Ecclesiæ consentaneum est, atque ejusdem praxi generaliter admissæ, sacramentum Baptismatis in omnibus oppidis ubi Ecclesia erecta est, extra eam non conferatur.

#### 6. DE SPONSORIBUS.

QUANDO ne unus quidem sponsor obtineri potest, atque adest ratio baptizandi infantem, tunc omissis consuetis ceremoniis, ei administretur tantum Baptisma quod vocant Privatum.

#### 7. DE ELEEMOSYNA PRO MISSIS CELEBRANDIS.

HABITA ratione pretii ciborum ceterorumque ad vitam necessariorum in dies crescentis, retributio pro unâ privatâ Missâ celebrandâ taxatur ad dimidiad partem nummi Americani.

#### 8. DE MATRIMONIO.

CUM plures occurrerent difficultates, si præscriberemus lege generali ut omnia matrimonia in Ecclesiis celebrarentur, juxta mentem et praxim orbis Catholici, præmaturum judicavimus hac de re aliquid decernere. Verùm omnes Pastores admonemus ut hanc piam consuetudinem Fidelibus commendent, eorumque animos ad eam brevi tempore amplectendam disponant.

#### 9. DE LUDIS PUBLICIS.

OMNES Pastores animarum iterum atque enixè admonemus, ut Fideles sibi commissos, tum è suggestu, tum in privatis suis instructionibus magis magisque abstrahere conentur à studio et inordinato amore Ludorum et illarum oblectationum, quibus non sine periculo adesse possunt, ut est frequenter adire Theatrum, Choreis indulgere, etc. Ipsos pariter prohi-

beant ullos libros legere, quibus integritas fidei, vel morum puritas facilè corrumpi potest; atque impri-  
mis ne indiscriminatim legant amatoria illas fabulas  
quas *Novels* vocant. Meminisse ipsimet Fideles con-  
tinuò debent, quantâ cum severitate Ecclesia Spiritu  
sancto directa, omnibus temporibus proscripterit om-  
nia scripta, quæ eò tendunt ut aliquid de summâ re-  
verentiâ sanctissimæ nostræ Religioni debitâ detra-  
hant.

## 10. DE LIBERIS MURATORIBUS.

ARCHIEPISCOPUS et Episcopi injungunt omnibus  
Sacerdotibus qui in ipsorum Diœcesibus sacrum ex-  
ercent Ministerium, ut Pœnitentiae et Eucharistiae  
sacramenta non administrent iis qui publicè cognos-  
cuntur pertinere ad societatem Liberorum Murato-  
rum, nisi positivè promittant se non amplius aditu-  
ros esse illorum conventus (*Lodges*), nec unquam  
professuros se ad illas societas ullo modo pertinere.  
Insuper Pastores sæpè admonebunt populum fidelem  
ipsis commissum, ut inire consortium cum hujusce-  
modi Societatibus cautè devitet.

- † JOANNES, *Arch. Balt.*
- † LEONARDUS, *Episc. Gortyn.*
- † MICHAEL, *Episc. Philad.*
- † JOANNES, *Episc. Bost.*
- † BENEDICTUS, *Episc. Bard.*



## CONCILIUM

## BALTIMORENSE

## PROVINCIALE I,

HABITUM

ANNO 1829.